

7.
ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑ
DE PECCA-
TO ORIGINIS, ET DE IL-
LIVS EFFECTIS: DE QVA XII. DE-
CEMBRIS, RESPONDEBIT HVLDE-
richus Troguſ, Bernas.

Vnà cum
EPISTOLA DE MONOCEROTE,
AD
Stemmatis, doctrina & pietate erga Deum,
nobilem virum,

D. OTTONEM A GRVNRADT,
Aule Electoralis Palatinae alterum Da-
nielem, certum amicum.



BASILEAE,
M. D. LXXXVIII.

Viro consultiſſimo, D. Johanni Smidt
Vvahlſtaunſi S. D. & oia
ſua officia deſerv. J. Grynaeus.

VNICORNIS.



VIRO VERE NOBILI, D. OT-
TONI^o GRUNRADT,
S. P. D.

Iohannes Iacobus Grynæus.



ATEOR me cogitantem de presentia gratia Dei, & de beneficijs *θεοπρεμπίοις*, ad Dei gloriam & meam consolationē, nunquam non animo recolere propheticam sententiam:

Attolles quasi *VNICORNIS* cornu meum: qui perfusus sum o-

leo viridi, *Psal. 92. versu 10.*

Vt, de superstitionibus quibusdam eximijs Dei Seruis, qui in nostra vicinia degunt, & quibus vicinarum gentium quarundam, etiam *ετρεπογλωσσῶν*, piorum hominum studia minime defunt, loquar. Inter nostros, Theodorus Beza, Antonius Sadeel, cum toto choro fratrum in Ecclesijs Urbis Genevensis, et vicinia: Abrahamus Musculus, cū Symmystis in urbe & agro Bernatū: Ioh. Rodolphus Stumpfius, cum Tigurinis & Sangallensibus fratribus: Ioh. Conradus Ulmerus cum Schafhusianis fratribus: Iosua Vinslerus cū Bielen sibus: Ego vero cum meis Basiliensibus & Mulhausinis, alijsq; vicinis Symmystis: vester, imò & noster, Daniel Tossanus, cum toto tam Electorali quàm Ducali Palatinatu, tanquā oculis Ecclesiarum: Pantaleon Candidus, cum Ducatus Bipontini Ecclesiarū fidei Pastoribus: & cum his omnibus fratres, qui docent in Ecclesijs Solmensibus, Isenburgicis, Nassouijs, Vuitgenstenijs purè reformatis: Christophorus Pezelius cum optimis collegis in inclyta Vrbe Brema, alijsq; multi in Christi

P R Æ F A T I O.

Iesu sincera fide nobis conjuncti fratres, uno ore nobiscum canunt:

Iehouah, non est elatum cor nostrum, neque exaltati sunt oculi nostri: neque incessimus in rebus magnis & mirificis supra nos. Demisimus & quietas tenuimus animas nostras, instar ab lactatorum. Sæpè affixerunt nos quidam à iuuentute nostra, nec tamen potuerunt quicquam contra nos. Supra dorsum nostrum arauerunt aratores, & produxerunt sulcos suos. Tu verò sustulisti tanquam unicornis cornu nostrum, abs te oleo lætitiæ Spiritus sancti perfusi, & multis, maximis que beneficijs affecti sumus. Sanè non commendamus nos ipsos, sed tu nos commendando, probatos facis. Ideò gratia sit tibi super inenarrabili tuo munere.

S. Ambrosius de benedictionibus Patriarcharum disserens: Sed, ait, quum dixerit cornua, quomodo posuit unicorni requirendum, quum ipse unicornus inter generationes ferarum, ut periti aiunt, non inueniatur? Et ideò V E R B U M unicū magis æstimare debemus, quia substantium Verbum Dei unum est, non multa verba.

Ego nolim in dubium vocare, an ulli unquam in rerum natura unicornes fuerint: de Hebraei nominis רֶמָה Reem, (in quo רֶ interdu[m] quiescens mutatur in י, sic ut scribatur רִי) significatione Hieronymum dubitasse video, quando is, eam aliàs Unicornem, aliàs Rhinocerotem, vertit.

Assentior autem ijs, qui diuersas species Animalium esse, docent: nec ea aspernor quæ annotauit Plinius lib. 8. c. 21. Natural. historia.

In India & boues solidis ungulis, unicornes, & feram nomine Axin, hinnuli pelle, pluribus candidioribusque maculis, sacrum

P R Æ F A T I O.

lis, sacra Liberis patris. Orsy Indi simias toto corpore candentes venantur.

Asperrimam autem feram Monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite cerua, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. hanc feram negant viuam capi.

Eodem libro, cap. 20. scribit Plinius: Pompeij magni ludis & Rhinoceros, vnius in nare cornu, qualis saepe, visus. Alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato parat se pugnæ: in dimicatione aluum maximè petens, quam scit esse molliorem. Longitudo ei par, crura multò breuiora, color buxeus.

Calendis Maij. Anno Christi 1513. Vlyssibonæ, Emmanueli regi Portugalia, ex India adductus fuisse perhibetur Rhinoceros.

Pausanias in Bæoticis: Vidi, ait, & tauros Aethiopicos, quos ex euentu Rhinocerotas nominant: quia in narium extremitate vnum cuiuslibet cornu est enatum, & sub eo aliud non magnū. In capite autem prorsus nullum cornu gerunt.

Strabo Geographia sua 16. libro: Rhinocerotes, ait, Artemidoro teste, longitudine paulum ab elephantis superantur, quod se Alexandria vidisse affirmat, ferè etiam quantum ad altitudinem. Eius autem, quem nos vidimus, color, non buxo, sed elephanti similis erat: magnitudo tauri: forma apro proxima, praesertim quod ad rostrum attinet: demto naso, cui cornu quoddam est recuruum, omni osse durius. Eo pro armis vtuntur, quemadmodum aper dentibus. Habet etiam duo cingula, tanquam draconum volumina à dorso vsq; ad vterum circumeuntia, alterum iubam versus, alterum ad lumbum. Nos hæc de eo dicimus quem ipsi vidimus. Artemidorus ait, id animal de pastu cum ele-

A 3 phante

P R Æ F A T I O.

phante pugnare, & rostro subire, ac ventrem eius con-
scindere, nisi ab elephantis proboscide, vel dentibus pra-
uertatur.

Augustinus enarrans Psalmum 92. Aliquando Unicornis significat superbiam, aliquando unicornis exaltationem unitatis significat: quia unitas exaltatur, omnes hareses cum inimicis Dei peribunt.

Huc faciunt dicta: Serua me ab ore leonis, & à cornibus unicornium exaudi me, Psal. 22. 22. & Iesaja, 34. 7. Descendent unicornes cum eis, & iuenci cum robustis. Hac verba de Θεομάχους regibus & principibus, Hieronymus interpretatur.

Si quando in malam partem Monocerotis nomē sumitur, tunc verò hieroglyphicè significat, tum persecutores Christi & fidelium, tum ἀνυπόστατοι & immisericordes homines.

I. Totareformata Ecclesia hoc tempore habet, cur indesinenter oret: Serua me Domine ab ore leonum, & à cornibus unicornium Antichristianorum & Pseudochristianorum.

II. Vt autem Iobi 39. v. 12. & aliquot sequentibus, dicitur: An volet unicornis seruire tibi: pernoctabitne ad praeseptum tua? An ligares unicornem ad arationem densi funis eius? occarene conualles post te? An fides ei quia multa est vis eius: aut relinquas ei laborem tuum? Credesne ei relaturum sementem tuam: & in aream tuam collecturum?

Sic immites, & fœderis nescij, & immisericordes illi fidelei nostrae hostes, nunquā non feris & indomitis ingenijs erunt: & etiam humanitate & beneficentia & tolerantia nostra, sese flecti nunquam patientur. Sunt enim progenies serpentum, de qua rectè dixeris:

καὶ ὄφις

P R Æ F A T I O.

ἡ χάρις ἀλλὰ καὶ τὴν φύσιν δὲ δύναται.

Gratia naturam vincere nulla potest.

III. *Quum Persecutores Ecclesie plerumq; ἀμετανόητοι, resipiscere nescij sint: iusto Dei iudicio, ceu fulmine icti, perinde pereunt, ut unicornis, quæ fera quum sit asperrima, viva capi nequit.*

Unicornis, quum in bonam partem sumitur, symbolicè, inter alia hæc significat.

I. *Vt unicorni unū cornu est, & quidem pretiosissimum, firmissimumq;: Sic toti catholice Ecclesie unicum est cornu salutis, erectum in domo Davidis, quod est IESVS CHRIS-
TVS, Luc. 1. 69. Psal. 132. 17.*

II. *Vt magnæ sunt unicorni vires: sic Deus fortis eductor Israëliitarum ex Aegypto (& Ecclesiarum nostrarum è Babilone occidentali) ei sunt vires multò maiores quàm sint monocerot, Num. 23. 26.*

III. *Vt sublato arduo capite Unicornis cornu, quod fronte media gerit, maximè attollit: sic Deus p̃i hominis cornu attollit cum gloria, Psal. 112. 9. & erigit è pulvere tenuem, è sterquilinio extollit egenum, collocando cum ingenuis, et faciendo ut solium gloriæ possideat, 1. Sam. 2. 8.*

Psalmes benè sperans: Attolles, inquit, quasi unicornis cornu meum: qui perfusus sum oleo viridi. Nam qui Spiritus sancti eximijs donis delibuti sunt, & magnis à Domino beneficijs sese affectos esse meminerunt: experientia sua edocti, & de futuris benè sperant.

IIII. *Mirum sanè est, quod auditione sese Aben Ezra accepisse ait, cornu Monocerotis tam esse firmum, ut è sublimi petra, tutò sese in illud præcipitem det. Enimverò & vera in Christum Iesum fidei tantum robur est, ut homo fidelis, subitò & quidem è sublimi dignitatis terrenæ fastigio
detur.*

P R Æ F A T I O.

*deturbatus, non admodum turbetur, nec nimium commo-
ueatur.*

*V. Vt Unicornis cicurari & domari sese non sinit, ut rei
rústica, alijsve hominum vñibus unquam seruiat: Ita homo
fidelis, blandiloquentia, delitijs, minis, pollicitationibus fi-
liorum huius seculi sese demulceri nunquam patitur, ut eo-
rum cupiditatibus & mundo huic seruiat. Nulla enim est
pars homini fideli cum infideli, 2. Cor. 6. 15.*

*At enim, dices nobilis & animo meo care D. Grunradi,
quid tibi Grynea animo intuenti Rhinocerotis & Elephan-
ti pugnam, in mentem venit? Quum, inquam, de opimis
maximè pascuis belluae illae immanes inter sese pugnent, non
id tantum repeto, quod dixit Seneca: Dij boni, quot ho-
minum vnus venter exercet? sed etiam videor mihi vi-
dere lucentes, certantesq; inter se, Camillos Antichristia-
nos & eorum patronos, Reges nimirum terræ, qui biberunt
è poculo abomi nationibus & scortationis immunditia
pleno.*

*Quanquam enim syncretismo coalescunt quum Sanctos
oppugnant: tamen eorundem λυκοφιλία, seu lupina amici-
tia, nunquam non interturbatur offensis & iniurijs, dum
sua quig; commoda quærunt: & mons monti non mis-
cetur.*

*Camilli, ceu Rhinocerotes, tecti, si Deo placet immunita-
tis Ecclesiastica, & potestatis clauium crustis & integu-
mentis, cornu superstitionis, quod naso Rhinocerotis simili-
mum est, ventres alienos fodiunt, ne sint qui opima pascuae,
prouincias, vrbes, census, vectigalia olim religionis prae-
textu adempta Maioribus, sibi rursus vendicent. Religionem
autem, ceu cornu superius, ostentant quidem, sed oculis in
terram defixis, quum illis non nisi terrena cura sint.*

Monarr-

P R Æ F A T I O.

Monarchæ quidam, Elephantorum inſtar, dentibus acutiffimis econtra latera Rhinocerotũ interdum confodiunt, & nunc hunc, nunc illum humi ſternunt, ac perinde tractant, quemadmodum Menelaum illum Iudæorum ſacerdotem, Antiochus Syriæ rex Siſiphæo ſupplicio affeciſſe, dicitur, 2. Macabæ. 13.

Pſeudochriſtiani autem huius ætatis Iaſones, Menelai, Lyſimachi, Alcimi, qui ſuos habent hyperaſpiſtas Gorgias, Apollonios, Nicanores, annõn Rhinocerotum inſtar inter ſeſe iam dimicant? annõn diuiſæ ſunt eorum linguæ? annõn Cadmæi iſti fratres ſuis ſeſe inuicem coloribus pingunt?

Quid igitur nos reliqui, quos tot hoſtes cingunt & oppugnant, agamus aliud, quàm vt ſtemus, vigilemus, ſobrii ſimus & oremus?

Certè nobiſcum eſt princeps militiæ Iehouæ, Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Ne ergo metuamus: nã plures ſunt qui nobiſcũ quàm qui cum aduerſarijs ſunt. Stat Angelus Iehouæ inter myrtos, ac ei præſtò ſunt adminiſtri inſidentes equis rufis, balijs & albis: Iehouah noſtris Eccleſijs eſt circumquaq; murus igneus: eſt nobis ſummæ gloriæ in medio noſtri. Filius Dei tenet adhuc ſtellas ſuas (id eſt, pios quosdam Paſtores & Doctores) in dextera ſua, & ambulat inter candelabra aurea Eccleſiarum purè reformatarum.

Proinde, ne timeamus, ſi commutaret terra locum: aut ſi dimouerentur montes depulſi in ima maria: ſi fremerent, lutoſeq; fierent aquæ cuiusq; eorũ: commouerentur montes elatione eorum. Enimverò aliud nihil obtinerent, quàm quod manus & conſilium Dei iam antea decreuerunt vt fierent. Robur eorum penes Deum eſt, qui illud, quum videbitur expedire, ſubtrahet. Furor hoſtium populi Dei,

B

Deum

P R Æ F A T I O.

Deum celebrabit: quo enim ille maior fuerit, tantò illustrior erit Dei eundem compefcentis, victoria. Residuum irarum Dominus succinget, visitans iniquitatem θεομαχίας exercentium, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt ipsum.

Nos sublati capitibus, instantem redemptionem expectemus, dicentes: Etiam veni Domine Iesu.

Ad te venio, clarissime D. Otto, ac tibi διδασκαλίαν de Peccato, dijudicandam offero. Scio enim tibi donum dijudicandi Spiritus à Domino IESU esse datum.

Agitur iam annus propè tertius, quando visum est Domino, me, qui Heydelbergæ in Academia meo loco docentem, vitæ meæ dies clausurum existimâram: qui ab illustrissimis Principibus, Duce IOHANNES CASIMIRO, Comite Palatino, seculi nostri Nehemia: & à florentissimo Duce FRIDERICO, Electoralis Palatinatus herede, nostro Iedidia, humanissime, benignissimeq; habitus eram: Basileam reuocare ad Ecclesiæ pariter Scholæq; Theologicæ curam ἡγετὶ τῆς προσαγωγῆς: in qua per Domini nostri Iesu Christi gratiam ita versor, ut causa maxima sit cur Deum celebrem, qui restituta nobis pace & sincera doctrina, inuisit nos ab alto, & pijs nostri Magistratus sacris consilijs uberim benedixit: ac dedit, ut nulli inter nos ἀναστῶντες sint, ac ut nemini πειρηχομένης Circumcellioni, aures nostri hauriantur præbeant.

Colemus autem consensum in doctrina Religionis, cum Ecclesijs, purè à fermento Antichristianismi & Pseudochristianismi reformatis, qualis est vestra, & aliæ conjunctæ in fide Christi: ac παναγονίας nostræ fructus, in beata & æterna vita & consuetudine triumphantis in cælo Ecclesiæ, uberrimos percipiemus, quando semper unà erimus, qui

P R Æ F A T I O.

*qui nunc locorum spacijs, non autem animis, disjuncti, mu-
tuum conspectum & colloquium sæpè desideramus.*

*Filius Dei posthac quoq³, copiosissimè benedicat vitæ, va-
letudini, studijs & actionibus tuis, ad ipsius
gloriam. Amen. Basilea, Calendis
Decembris. 1588.*

E L E P H A S.



R H I N O C E R O S .



DE PECCATO ΔΙΑΔΑΣΚΑΛΙΑ.

I. Notatio.



Verbum Græcum ἀμαρτάνω, significat aberro, non attingo scopum, pecco.

Ἀμαρτημα, erratum, peccatum.

Ἀμαρτία, Peccatum, sumitur aliàs figuratè, pro uictima pro peccato □ωκ, Leuit. 7. 2. 2. Cor. 5.

21. aliàs propriè, & quidem uel generatim quando & originis peccatum & eius pessimos fructus, Actualia peccata, denotat, Iohan. 1. 29. uel speciatim, quando Originis peccatum significat, Rom. 5. 12.

Et si autem uerè dicitur, Ἀμαρτίαν numero singulari originis peccatum: ἀμαρτίας numero multitudinis, Actualia peccata, sæpiùs denotare: tamen fatendum & illud est, uocem pluralem Ἀμαρτίας, peccata, quandoque & illud & hæc simul complecti, Matth. 1. 21. interdū illius fructus, uidelicet opera carnis, Eph. 2. 1.

Ἀμαρτωλός, Peccator, dicitur tū generatim, Et non ex Gentibus peccatores, Gal. 2. 15. tum speciatim, uel de electis resipiscentibus, Matth. 9. 13. uel de reprobis peccandi quasi quandam artem facitantes, Iohan. 9. 31.

Idem tamen homo ante conuersionem est Peccator: sed post eam Iustus, Rom. 5. 19.

Fert autem animus de Peccato peccante & de Actualibus peccatis, dialectico ordine agere.

II. An sit.

Esse peccatum, quod totum genus humanum peruaferit, hoc testimonio, quod multorum instar est, probamus. Per unum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors transijt, in quo omnes peccârunt, Rom. 5. 12.

Posito effectū necesse est causas proprias esse uel fuisse. Demonstratio Analy-

Statutum autē est hominibus (etiā infantibus, qui actualibus tica,

DE PECCATO.

libus peccatis non peccauerunt ad similitudinem transgressionibus Adam, Rom. 5.14.) ut semel moriantur: postea uero iudicium, Hebr. 9.27. Certum autem & illud est: Stipendia peccati, mors, Rom. 6.23.

Sequitur igitur ἀναγίγνωσται, quod peccatum illud mortiferum omnes homines peruaferit.

Πόρισμα.

Sequitur & istud esse propriè dictum peccatum, quando illud omnium ætatum hominibus causa mortis est.

III. Quid sit.

Peccatum est ἀνομία, constans reatu & corruptione: quæ parit opera carnis: & meretur primam & secundam mortem: nisi fiat remissio.

Genus est ἀνομία: id est, quiddā è diametro pugnans cum Lege Dei, 1. Iohan. 3.4. Est legis transgressio.

Differentia, Constans, tum Reatu, seu priuatione iustitiæ originalis, tum Corruptione, seu caligine mentis, auersione uoluntatis à Deo, & omnium uirium ἀραξία, seu confusione.

Stipendia eius, mors: Sed tamen à secunda morte omnes ij liberantur, quibus remittuntur peccata.

Definitio à Spiritu sancto tradita est uera.

Talis aut est ista definitio: Peccatū est Legis transgressio. Est igitur uera.

Πορίσματα.

1. Contradicunt igitur Spiritui sancto, qui negant peccatum esse ἀνομίαν: & fingunt ἀνομίαν esse humana commenta & traditiones Pontificum, abijcere.

2. Nec est uniuoca definitio: Peccatum est quod libera uoluntate & à scientie committitur.

IIII. Quotuplex sit Peccatum.

Si causam & effectum respicias, aliud est Peccatum originis, alia sunt Actualia peccata interiora & exteriora, quæ cōsultissimum fuerit secundū Decalogi præcepta discernere.

Nec

Demōstratio.

DE PECCATO.

Nec causa & effectus, nec Decalogi praecepta, confundi debent. Demonstratio.

Atqui secundum illa discernuntur Peccatum & Peccata.

Quare confundi non debent: licet de omnibus id uerè dicatur, quòd sint ἀνομία, transgressio Legis: & quòd quicunq; offenderit in uno, omnibus teneatur, Iac. 2. 10.

Πόσιμα.

Omnia igitur peccata sunt mortalia per seipsa: nullum autem est καὶ ἀπὸ τὸ ueniale.

V. Actualium peccatorum distinctiones.

Hæc discernuntur secundum Obiecta, instrumenta, scientiam uel ignorantiam.

Quædam militant aduersus Deum ipsum, quædã aduersus Angelos aut Homines: quædam aduersus ipsum hominem qui peccat. Ad priorem classẽ referuntur duę species blasphemiae, quarum altera est in Filium, altera in Spiritum sanctum, Matth. 12. 32. Sed ad secundum pertinent omnis generis injuriæ, quæ dictis, factis, gestibus, uitæ habitu peraguntur, 1. Cor. 11. 10. Matth. 18. 15. Ad tertium uerò ordinem referri debent ea peccata, quibus homo lædit, uel suam ipsius mentem opinione erronea fascinatam, 1. Cor. 3. 18. Gal. 6. 3. uel uoluntatem, quum eam à Deo auertit: uel conscientiam, Rom. 2. 15. uel corpus proprium, 1. Cor. 6. 18.

De fonte malorum, quod est cor incircumcisum, Matth. 15. 19. de instrumentis, lingua, auribus, manibus cæterisque instrumentis (Matth. 5. 12. & alibi quoque) agitur.

Alia autem à sciente, alia ab ignorante admitti: & aliam esse affectatam ignorantiam, aliam non affectatam: aliam iuris, aliam facti ignorantiam, discimus ex multis locis, Ioan. 15. 22. 1. Tim. 1. 13. 1. Cor. 8. 1.

Non debent confundi ea quæ obiectis, instrumentis, & Demonstratio.
cognitione uariant.

Eiusmodi autem sunt Actualia peccata.

Quare

DE PECCATO.

Quare promiscuè haberi & misceri non debent.

Πόεισμα.

Falsum igitur est Stoicorum Paradoxum: Omnia peccata sunt paria.

VI. Quæ causæ.

Causæ peccati sunt penes uitiosa instrumenta, quibus tamen Deus benè utitur. Ea uerò sunt Diabolus inprimis & Homines.

Iohan. 8. 44. Diabolus fuit homicida à principio, & in ueritate non perstitit.

2. Cor. 11. 3. Serpens ille seduxit Euam calliditate sua.

1. Tim. 2. 14. Adam non fuit seductus: sed mulier seducta causa fuit transgressionis.

Rom. 5. 19. Per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi.

Demōstra-
tio.

Seductor, in quo ἡσθησεν peccatum natum est: & Seductus, in quem ἡξασθησεν malum illud irrepsit, diuersimodè peccati auctores sunt.

Sathan uerò, pater mendacij & homicidij initio fuit, & primos nostros parentes seduxit, ut inobedientes erga Deum, rapinam esse ducerent Deo parem esse.

Quapropter interest inter ἀρχικάκον Diabolum, & inter Adamum & Euam, & utrorumque lapsus.

Ποείσματα.

1. Interest igitur inter Diabolum, qui est ἀμειτανόητος: id est, alienus à resipiscentia, nec unquam in gratiam à Deo recipietur: & inter Homines, qui grauissimè quidem peccarunt, sed tamen seducti sunt & circumuenti à Diabolo.

2. Nec Deus est auctor mali: licet nihil ipso uel inuito, uel conniumente fiat: ac definito eius consilio & prouidentia Iudæi manibus sceleratis Christum Iesum cruci affixum interemerint, Act. 2. 23.

3. Irrationabilibus creaturis non est tribuendum peccatum.

VII. Quomodo propagetur.

Originis peccatum peruasit genus humanum per propagationem, confirmatus autem imitatione, iuxta dicta.

Gen.

DE PECCATO.

Gen. 5. 3. Adam genuit filium ad similitudinem suam & ad imaginem suam.

Iohan. 3. 6. Quod genitum est ex carne, caro est.

1. Cor. 15. 49. Gestauimus imaginem terreni.

Eph. 2. 3. Eramus natura filij iræ, ut etiam cæteri.

Gen. 6. 5. Omnis imaginatio cogitationum cordis humani tantummodò est malum omni die.

Verè dicitur propagari unà cum Natura, & Imitatione *Demonstratio.* confirmari, quod omnes nascentes à parentibus accipiunt, & quod eorum exemplo κακόζητοι declarant.

Sed originis peccatum à parentibus liberi accipiunt, & usu confirmant.

Ergo rectè dicitur propagando deriuari in feram posteritatem, & pessimo usu & imitatione confirmari.

Πόρισμα.

Malè igitur posthumi Pelagianorum fingunt, si quod originis peccatum sit, id saltem imitatione quadam propagari.

VIII. Quòd nam eius subiectum sit.

In Anima rationali & eius facultatibus est Peccatum originis.

Eph. 4. 17. 18. Gentes uersantur in uanitate mentis suæ. Cogitationem habentes obtenebratam, & abalienatam à uita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, ex obduratione cordis eorum.

Idem est subiectum Peccati originis, tanquã priuationis, *Demonstratio.* quod est subiectum Iustitiæ originis, uelut habitus infusi.

Iustitia autem originalis est in Anima rationali & in eius facultatibus, Intelligentia & Voluntate. Est enim illa imago Dei, de qua dicitur: Nouus homo conditus est secundum Deum, ad iustitiam & sanctimoniam ueram, Eph. 4. 24.

Quare idem est subiectum & Peccati originis.

Ποείσµατα.

1. Discerni igitur debet corpus cum suis membris, quæ sunt instrumenta iustitiæ aut iniustitiæ, Rom. 6. 13. & Anima rationalis in homine non-

C

dum

DE PECCATO.

dum regenito, occupata à Peccato peccante, ueluti à quodam tyranno, qui suo τῷ ὑπομονῇ, luce Dei experte, excitat motus malos, quibus uoluntas prouocata parit cupiditates inordinatas: quibus Corpus magno suo malo seruit.

2. Et quum contraria in gradibus excellentibus simul esse nequeant, plenè restituta imagine Dei & iustitia originali, nullus locus erit eius priuationi, uidelicet peccato originali.

IX. Quibus malis constet.

Reatu & Corruptione constat originis peccatum: ut ex suprà adductis testimonijs liquet.

Demonstratio. Contraria contrariorum sunt remedia.

Christus medicam manum nobis sanandis adhibens, ut à Peccati originalis morbo liberet, nos tum iustificat, tum regenerat.

Originis ergo peccatum constat, tum reatu, cui medetur remissio peccatorum & iustitia Christi, quæ nobis per fidem imputatur: tum corruptione, cui regeneratio succurrit, mortificata quidem carne, uiuificato autem spiritu.

Πόρισμα.

Malè igitur faciunt, qui peccatum istud extenuant, ut liberum, in homine nondum regenito, arbitrium, confingant.

X. Effecta eius quænam sint.

Effecta Peccati originis (si spectes culpam) sunt, impietas & iniustitia: in genere, inquam: at in specie, Opera Carnis, Rom. 1. 18. Gal. 5. 19. Sed si spectes penam, sunt omnis generis calamitates & ipsa denique mors, Hos. 13. 9. Rom. 7. 13.

Quid autem etiam in Renatis agat, in quibus tamen paulatim mortificatur, docet Paulus, quum ait: Video aliam Legem in membris meis rebellantem Legi mentis meæ, & captiuum reddentem me Legi peccati, quæ est in membris meis, Rom. 7. 23.

Demonstratio.

Ira Dei cœlitus patefit aduersus nocentes, non autem aduersus innocentes, seu pios & iustos.

Patefit autem aduersus omnes homines: ut testantur calamitates,

DE PECCATO.

lammities, morbi, mors, & alia quibus etiam infantes sunt obnoxij.

Fatendum igitur est regnante morte, in eos quoque qui non peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adam, noxam hanc toti humano generi esse communem.

Πόρισμα.

Errant ergo & Catabaptistæ, quando negant infantes infectos esse peccato originis.

XI. Quod sit.

Ad hanc Quæstionem hæc omnia & eis cognata, refero.

1. Omnes homines in Adamo peccauisse, & morti obnoxios esse cœpisse.

Adam fuit (ἡ ἀρχὴ) typus Christi qui erat futurus, Rom. Demonstratio.

5. uers. 14.

Christus suis auctor est iustitiæ & uitæ. Eodē cap. v. 17. &c.

Adam ergo suis auctor fuit peccati & mortis.

Πόρισμα.

In hoc ergo omnes peccârunt, v. 12.

2. Omnes homines in Deum peccauisse: idem autē sibi uult phrasim, in cælum peccare, Luc. 15. 18.

In Deum peccantes, iniurijs sunt in infinitum bonum.

Omnes homines in Deum peccârunt & peccant.

Sunt igitur iniurijs in infinitum bonum.

Demonstratio.

Πόρισμα.

Ergo & æternas pœnas merentur. Verum electos suos ab his liberator Christus liberat.

3. Peccata non esse paria.

Si interest inter causam & effectus: & inter pœnas temporales & æternas, interest etiam inter Peccata. Demonstratio.

Verum est quod antecedit. Nam peccatum originis ceterorum fons est: & peccata puniuntur disparibus pœnis temporalibus, Matth. 5. 21. 22. & æternis, Matt. 10. 15.

Non igitur sunt paria peccata.

Πόρισμα.

Peccatum ergo in Spiritum sanctū, quod ij committunt, qui usq; ad uitæ finem

DE PECCATO.

finem ἀπολογούμενοι, conscientia reclamante, Deo, ac proinde uero & bono, bellum indicunt, confundi non debet cum ceteris particularibus lapsibus, siue hi à scientibus, siue ab ignorantibus committantur.

4. Omne peccatum mereri mortem.
Non est contradicendum expressæ ueritati, & uniuersali experientiæ omnium hominum.
Hæc autem euincunt, Quoduis peccatum mereri mortem, Rom. 5.14. & 6.23.
Quare id certum est.

Πόρισμα.

Et si igitur in hoc tertio conueniunt, paria tamen ideò non sunt: ut paulò antè demonstratum fuit.

5. Peccantem in uno reum esse omnium, Iac. 2.10.
Si præcepta Dei auctoritate sunt coniuncta & similia, Matth. 23.39. si etiam expletio Legis, est caritas, Rom. 13.10. tum sequitur eum qui offenderit in uno, omnibus teneri.
Vera sunt quæ antecedunt.
Verum ergo est etiam quod sequitur.

Πόρισμα.

Inscitia igitur est & ueluti impietatis Orci galea, fingere te qui uerbis gratia auarus es, adultero meliorem esse.

6. Peccantem in seipso proximam peccati causam quærere debere, non in Deo.
Nihil de Deo statuendum est, quod quidem ab illius natura planè alienum est.

Esse causam peccati planè alienum est à natura Dei summè iusti. Proprium autem illius est, gratiam Spiritus subministrando, bona opera efficere. Hanc gratiam quàm non subministrat, homo destitutus principijs benè operandi, necessariò quidè peccat, sed non cogitur ad peccandũ. (ri debet.
Quare in homine peccate, illa proxima peccati causa quæ-

Πόρισμα.

Aliud igitur est necessariò, aliud coactè peccare. Necesitas enim illa, & Spontaneo lapsu accersita est, & uoluntatè non excludit.

7. Peccata

DE PECCATO.

7. *Peccata causas damnationis esse, non autem reprobationis.*

Damnationis, quæ fiet in nouissimo die, causa, non debet *Demonstratio.*
confundi cum eo quod ab æterno fuit, & fine differt ab illa.

Peccata sunt causæ damnationis, cuius finis est pœna damnati.

Ergo non dici debent causæ ab æterno antegressæ Reprobationis, cuius finis est declaratio iustitiæ & potentiæ Dei.

Πόρισμα.

Præuisa igitur peccata, si unica essent reprobationis causa, tum nemo esset electus.

8. *Modum quo nos Deus Pater in Christo seruat, esse remissionem peccatorum: & imputationem iustitiæ Christi.*

Contraria contrariorum sunt consequentia.

Atqui Deus peccata remittens liberat nos ab exitio.

Demonstratio.

Ergo idem iustitiam Filij sui nobis imputans confert nobis uitam & salutem.

Πόρισμα.

Seiungi itaq; nequeunt remissio peccatorum & iustitiæ imputatio in salute nostra.

9. *Peccatorum remissionem ordine posteriorem esse resipiscentia, cuius continuum exercitium uitam Christianam commendat.*

Doctrinæ dispensationi responderet eiusdem fructus.

Demonstratio.

Atqui Legis prædicatione ad resipiscentiam initio adducendi sunt homines, ut Euangelij beneficiū: hoc est, remissionem peccatorum & iustitiæ donum auidè desiderent fideq; obtineant: & secundum Spiritum ambulent.

Liquet igitur illam hac priorem.

Πόρισμα.

Liquet & illud seiungi non posse. Stat enim illud: Resipiscite, & credite Euangelio, Marc. 1. 15.

DEO GLORIA.

E I Δ Y A A I O N
D E F R I N G I L L A :

A D

Clarissimum virum D. Ioannem Iacobum
Grynæum, Theologum
Basiliensem.

Illa ego sum uolucris, quondam quæ magna per hortos
Regnaui, nec me notior ulla fuit.
Ipsa meos pullos eduxi ad fluminis undam,
Sectatrix cantus ò Philomela tui.
Flectebam in laudes iam illorum rostra Tonantis:
Applausumq; dabant cuncta uireta pium.
Tum feruebat opus, Iovè ritè fauente, ita ut essent
Tristia pennigero nulla timenda gregi.
Sperabam demens propria hæc mihi gaudia semper,
Et mansura illis otia grata locis.
Sed tergum & uarijs alas depicta figuris,
Inuidit nostris emula pica bonis.
Carmine dumq; nequit doctas superare uolucres,
Vi causam, reproba uincere & arte cupit.
In partem prædamq; armatas unguibus uncis;
Cristatas & aues in sua sensa uocat.
Accingunt se omnes pugnae: dux garrula facti
Pica, gerit bellum uiribus atq; dolis.
Tum uolucres, quis est mutabile pectus in horas,
Talibus, heu faciles, extimuere minis.
Victum infelicem, baccas, ac pingua culta,
Laudibus & sacris præposuere Deum.
Cognatis cœpere simul non parcere plumis:
Vsq; adeò cædis dira cupido fuit.
At ego conatus dum fixa probare nefandos,
Nec uolui innocuis bella mouere alijs:

ipsa coacta fui dilectis cedere terris,
Atq; alia sedes quærere in orbe nouas.
Tot post exhaustos noctesq; diesq; labores,
Talis iam merces redditur ecce mihi.
Sic per colla canes gestatis uincula: uobis
Effosisq; oculis gratia habetur aues.
Desertæ en incerta uia, sedisq; futuræ,
Ab procul ignota nunc feror exul humo.
Nec scio, quæis pullos, aut qua regione reliqui:
Quæ me, sors similis fortè fatigat eos:
Carmina uel nostris aliena, insulsaq; discunt;
Sint ut damna pio post metuenda gregi.
O patria, o multos nobis loca culta per annos,
Gaudia & in fumos spes abiære meæ.
Non uitam moror inuisam post fata meorum:
Heu motu proprio gloria nostra ruit.
Quàm uideor felix & fortunata fuisse,
Temporis effluxi cum mihi imago subit.
Personat omne nemus nunc horrisono ululatu;
Quod cantus uarijs audiit ante modis.
Delicias nostras, & amoena uireta canentum,
Picaq; cum cuculis accipitresq; tenent.
Quò deserta uolo? quænam post hospita tellus,
Aut fessæ requiem quæ mihi sylua dabit?
Extremas hominum pennas iuuat ire per oras,
Ales ubi tutò uiuere nulla potest.
Illic fata querar mecum, crudelia fata:
Et nemora, & lacrymis saxa mouebo meis.
Tum simul inscribam desertis carmen arenis;
Huic miseræ exilium triste perire fuit.

Barthol. Chæricus.

S V F F I.

SVFFICIT TIBI GRATIA MEA,
2. Cor. 12. 9.

Q Vis sorte contentus sua? cui sufficit
Toto orbe dia gratia?
Aequum praeis, iustumq; ciuibus tuis?
Curæ premunt; uis otium.
Diuina uerbi spargis almi semina?
Crux est grauis; uis otium.
Negotiosis implicatus mercibus
Es? nil sat est; uis otium.
Vineta das nuptum maritis ulmeis?
Quid aruit; uis otium.
Flat Cæcias, cum salsa sulcas æquora?
Vis Africum; uis otium.
Audite siue serio, seu uos ioco
Sortis secuta pœnitet:
Audite selectissimo quid organo
Suo Deus respondeat:
Satana ter usq; deprecanti uerbera,
MEA SVFFICIT TIBI GRATIA.

Iohannes Esychius,
Bremenſis.

